DE

SCOLIORUM ORIGINE ET USU

SCRIPSIT

FRANCISCUS RUNCK

PHIL. DR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE (PAUL LANGE)

MDCCCLXXVI.

De scoliis veterum Graecorum qui aliquid literis mandaverunt, hi valde inter se discrepantes alii in alias abierunt sententias. Et videtur illa res jam antiquitus difficilis admodum atque obscura fuisse, ita ut ne de nomine quidem, quo carmina ista appellabantur, satis constaret. Quo factum est ut, si nostris temporibus quis disquirere vellet aut nominis causam aut vim scoliorum naturamque, hanc atque illam secutus veterum sententiam, tamen cum certi nihil usquam inveniret, ad coniecturas confugeret vel etiam ad somnia nugasque abriperetur. Quae quidem omnia quatenus commemoranda videntur nos, qui de cantiuncularum illarum origine atque usu hoc loco sumus quaesituri, singulatim enumerabimus accurateque perpendemus.

De origine scoliorum veteribus nihil constitisse ex eo intelligitur quod illi in expedienda re haud facile verbi etymologiam videntur excessisse. Antiquissimam esse originem scoliorum, quae quidem inde ab Aristophane et Platone aliquoties commemorantur, omnes affirmant, verum unde orta sint, non tollunt dubitationem. Prima autem veterum de isto poësis genere sententia quae ad nos pervenit, Dicaearchi est, Aristotelis discipuli, cuius verba legimus apud Suidam s. v. ΣΚΟΛΙΟΝ, sed non sine menda. Sunt enim haec: ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον καθ' ἕνα ἑξῆς, τὸ δ' ὑπὸ τῶν συνετωτάτων, ὡς ἔτυχε, τῇ τάξει· ὃ δὴ καλεῖσθαι διὰ τὴν τάξιν σκολιόν. — Tria igitur genera cantilenarum vult ille referre, sed duo tantum refert. Quae Dicaearchi verba jam scholiasten Luciani (t. III p. 292 Bip.) non aliter legisse inde manifestum videtur quod is pro τρία scripsit

δύο, sine dubio, siquidem ipse correxit, ut locum concinnaret. Sed minus recte; quoniam tria, non duo genera veteres posuisse certissimis testimoniis confirmatur. Koesterus in libello quem de scoliis scripsit (Flensburgi 1846) ita legi jubet: τὸ μὲν ὑφ' ἁπάντων ᾀδόμενον, τὸ δ' ὑπὸ πάντων καθ' ἕνα ἑξῆς, τὸ δ' ὑπὸ . . . Cui emendationi nec facili nec necessariae assentiri non possum, cum vera lectio multo propius adsit ac paucissimis reficiatur appositis. Intercidisse enim censeo nihil nisi τὸ δὲ et locum ita legendum: ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον, τὸ δὲ καθ' ἕνα ἑξῆς, τὸ δ' ὑπὸ . . . Tria igitur genera carminum convivalium Dicaearchus dicit fuisse, primum ab omnibus una cantatum, secundum a singulis deinceps, tertium a prudentissimo quoque nulla accubantium loci habita ratione. Id autem propter ordinem non servatum σκολιόν i. e. carmen obliquum vocatum esse. Derivat igitur verbum σκολιον ab adjectivo σκολιός et intelligit, ut jam dixi, carmen obliquum seu non continuo, sed inflexo ordine cantatum, scilicet intermissis iis qui canere illud non didicissent.

Alium Aristotelis discipulum, Aristoxenum itemque Phyllidem musicum nomen a lectulis in nuptiis obliquo modo circa unam mensam stratis petivisse idem Suidas prodit.

Rem igitur jam Dicaearchi Aristoxenique tempore ignotam fuisse vides eosque praeter ipsa scolia ad legendum vel cantandum conscripta nihil de iis novisse et cum aequales essent, vel de ipsa nominis causa tam diversas proferre sententias. Quid igitur a seriorum temporum scriptoribus exspectabimus?

Plutarchus quidem duas illas quas modo commemoravimus sententias videtur spectasse cum ita dicat (Symp. I. qu. 1. p. 615 B.): ἐπεί τοι καὶ τὰ σκόλιά φασιν οὐ γένος ᾀσμάτων εἶναι πεποιημένον ἀσαφῶς, ἀλλ' ὅτι πρῶτον μὲν ᾖδον ᾠδὴν τοῦ θεοῦ κοινῶς ἅπαντες μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες, δευτέραν δὲ ἐφεξῆς ἑκάστῳ μυρσίνης παραδιδομένης, ἣν ἄσακον, οἶμαι, διὰ τὸ ᾄδειν τὸν δεξάμενον ἐκάλουν. ἐπὶ δὲ τούτῳ λύρας περιφερομένης ὁ μὲν

πεπαιδευμένος ἐλάμβανε καὶ ᾖδεν ἁρμοζόμενος, τῶν δὲ ἀμούσων οὐ προσιεμένων, σκολιὸν ὠνομάσθη τὸ μὴ κοινὸν αὐτοῦ μηδὲ ῥᾴδιον . . . ἄλλοι δέ φασι τὴν μυρσίνην οὐ καθεξῆς βαδίζειν, ἀλλὰ καθ' ἕκαστον ἐπὶ κλίνην διαφέρεσθαι. τὸν γὰρ πρῶτον ᾄσαντα τῷ πρώτῳ τῆς δευτέρας κλίνης ἀποστέλλειν, ἐκεῖνον δὲ τῷ πρώτῳ τῆς τρίτης, εἶτα τὸν δεύτερον ὁμοίως τῷ δευτέρῳ. καὶ τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπές, ὡς ἔοικε, τῆς περιόδου σκολιὸν ὠνομάσθη. Prior Dicaearchi sententia est aucta et amplificata, omnino autem non mutata; posteriorem Aristoxeni Phyllidisque non ita dissimilem esse quis non videt? Quamquam illi apud Suidam propter lectos obliqua ratione positos ambitum fieri obliquum putant, sed quo ordine cantatum sit, omnes deinceps singulorum lectulorum consessores myrtum ceperint an tali qualem hic legimus ratione, plane incertum relinquitur. Possunt ergo illi idem statuisse ac Plutarchus. Sed quid in nugis vanisque ludis diutius versamur? Vagantur illi quod nihil certi afferre possunt. Certe posterior ista sententia speciem nimis quaesiti et quasi per vim excogitati prae se ferens minime probabilis, verum omnino respuenda est.

Ad Dicaearchi fere modum Athenaei accedit scoliorum explicatio. Is enim cum modulationis genus causam nominis fuisse neget, Artemonis Cassandrei sequitur sententiam, fortasse ipsa illius verba afferens. Totum Athenaei locum hic exstare libet (L. XV. p. 694 Cas.) σκολιὰ δὲ καλοῦνται οὐ κατὰ τὸν τῆς μελοποιΐας τρόπον, ὅςτις σκολιὸς ἦν· λέγουσι γὰρ τὰ ἐν ταῖς ἀνειμέναις εἶναι σκολιά· ἀλλὰ τριῶν γενῶν ὄντων, ὥς φησιν Ἀρτέμων ὁ Κασσανδρεὺς ἐν δευτέρῳ βιβλίῳ χρήσεως, ἐν οἷς τὰ περὶ τὰς συνουσίας ἦν ᾀδόμενα, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἦν, ὃ δὴ πάντας ᾄδειν νόμος ἦν, τὸ δὲ δεύτερον, ὃ δὴ πάντες μὲν ᾖδον, οὐ μὴν ἀλλά γε κατά τινα περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς, τρίτον δὲ καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον, οὗ μετεῖχον οὐκέτι πάντες, ἀλλ' οἱ συνετοὶ δοκοῦντες εἶναι μόνοι καὶ κατὰ τόπον τινὰ εἰ τύχοιεν ὄντες. διόπερ ὡς ἀταξίαν τινὰ μόνον παρὰ τἄλλα ἔχον τὸ μήθ' ἅμα μήθ' ἑξῆς γενόμενον, ἀλλ' ὅπου ἔτυχεν εἶναι, σκόλιον ἐκλήθη.

Quae quod non satis pura leguntur, nihil tamen ad ipsam sententiam pertinet. Etenim quae exhibent codices: καὶ κατὰ τόπον τινὰ εἰ τύχοιεν ὄντες, ea Athenaei vel Artemonis esse non possunt, nisi rem simplicissimam inculte ac plane obscure expressam esse statuas. Nec elegantior fit locus Cludii (de quo v. infra) vocabulum εἰ delentis emendatione. Alio modo res tentanda est.

Equidem in codice archetypo suspicor exstitisse τοπον ον τινα α, unde menda facillime nasci potuit; pro ὄντες autem scribendum ἔχοντες, quod quidem quomodo tam mutilum factum sit, cum syllaba εν praecedat, nihil habet difficultatis. Ita igitur censeo Athenaeum scripsisse: . . . καὶ κατὰ τόπον, ὅντινα ἀεὶ τύχοιεν ἔχοντες i. e. quocunque quisque loco forte accubuit. Nunc clara et aperta res est nec amplius quidquam desideratur. Quod statim inferius sequitur γενόμενον sive γενόμενος, fortasse corruptum est reficiendumque γένος ᾀδόμενον. Omnino autem supervacanea videntur verba ἀλλ' ὅπου ἔτυχεν εἶναι; quae quidem sine dubio e glossemate quodam in ipsum textum irrepserunt.

Est igitur illius, quae eadem fuerat Dicaearchi sententia fere haec: ubi res ad scolia venerit, suum quemque locum, quo antea sederit, tenuisse. Poterat enim facile quis opinari scolia cantaturos sedes suas mutasse et a ceteris amotos propius inter se uno loco consedisse. Quod cum non fieret nec omnes canerent, ordo convivantium seriesque interrumpebatur eamque putant illi causam appellationis fuisse.

Attamen cur prudentiores tantummodo canendi illa periti fuerint, non modo non docemur, sed omnino contrariae proferuntur sententiae. Plutarchus difficile affirmat fuisse ad canendum, facile aliquod esse scolion ait Suidas. Proclus vero (ap. Phot. p. 988) similiterque Horus (Etym. M. s. v. ΣΚΟ.) scolia in extremis epulis, cum vino jam laxiores facti essent canentium animi aut corpora, ab ebriis ac titubantibus convivis cantata esse volunt, unde ipsa carmina quasi

titubantia i. q. σκολιά nominata sint. Ebrios plus scire putemus sobriis? —

Nec ei defuit vetus laudator sententiae, quam Athenaeus ut minus probandam breviter tetigerat. Eustathius enim in commentario Odysseae (H. p. 1574) haec scribit: τῇ δ' ἐννοίᾳ οὐχ ὅτι σκολιά εἰσι λόγῳ ψόγον*), ἀλλὰ κατά τινα μελοποΐας νόμον, ὃς, οἷα εἰκὸς, οὐ πρὸς εὐθὺ ἐμέλπετο ἁπλοϊκώτερον, ἀλλὰ ποικίλως ἐσκολιοῦτο. Unde ille ea hauserit, e Didymi libris τῶν συμποσιακῶν, ut Frid. Jacobsius suspicatur, an ex aliorum sententiis, nihil interest; neque enim cum auctorem non nominarit, ita perveterem videtur secutus esse.

Habes nunc quae veteres de ea re statuerunt, illi quidem suam quisque sententiam veram esse affirmantes. Quot de parvula re disputationes! Non mirum igitur quod recentiores idem facere videmus, ut hoc atque illud verum duxerint.

H. H. Cludius (bibl. vet. litt. et art. tom. I. Gotting. 1789. inde a p. 54.) haec sentit de scoliorum origine. Antiquissimis temporibus, cum lingua Graecorum parum exculta sensibus magis quam mente perciperetur, quidquid animum moverit, cantatum esse idque sine arte, nullo certo metro. Unde paullatim, si qua magis placuerint ob eamque causam saepius repetita sint, certa orta esse metra. Verum etiam illa incerta mansisse eaque usurpata esse a dramaticis nec non a Pindaro et quibusdam aliis lyricis, qui quidem antistropharum responsionibus ea sint modulati. Quae certo metro facta sint carmina, ea ὀρθά esse vocata, quae incerto, σκολιά. Iam eas cantilenas quas vocant scolia illo incerto metro factas esse et ob id nomen suum accepisse. Hactenus ille. Sed quibus ille nititur argumentis? Lyricorum quidam ac dramatici

---

*) Verba λόγῳ ψόγον corrupta sunt. Quod Koesterus scribit: εἰς λόγου ψόγον, parum verisimile videtur. Fortasse est legendum λόγων ψόφῳ, ita ut tortuosus verborum sonus vel artificiosius genus dicendi significetur.

incertis metris usi sunt? Denique cui constat de scoliorum metro incerto? Sane nemo rei metricae peritus illi assentietur.

Eodem ex fonte Santenium Batavum (ad Ter. Maur. carm. de metr. V. 1418 p. 2414 ed. Putsch; cf. bibl. Gott. V.) hausisse miror, qui Schotto et Nunnesio (ad Procli Chrestom. p. 10) invenisse se multos in scoliis amphibrachos notantibus temere crediderit ac propter huius pedis partitionem a ceteris rhythmis abhorrentem nomen scoliorum ortum esse statuerit. Attamen illic in tenebris se versari libere fatetur nec ipsi de scoliorum metro certi quidquam constare. Et profecto unum tantum exstat exemplum versiculorum ex amphibrachis compositorum idque germanumne sit an potius a Dionysio, qui illud prodit in libro de comp. verb., docendi causa factum valde dubium est.

Ex ceteris viris doctis, qui hanc rem tractaverunt, unus mihi maxime commemorandus videtur esse, Car. Dav. Ilgenius. Is summa cum diligentia varias priorum de ea re sententias congessit copioseque quae ipse sentiret exposuit. Nec operae pretium esset post illum quidquam de ea re scribere, nisi aliquoties longius, ut equidem puto, processisset, ita ut nonnulla corrigenda reliquerit. Sed quae ille disputaverit breviter jam dicemus.

Popularium carminum numero ascribit scolia quae vocant eaque comparat cum hymnis aliisque huius generis cantilenis quae publice canebantur certis occasionibus aut diebus festis. Atque morem ad citharam inter scyphos canendi originem trahere ex religione. Cum antiquissimis temporibus deorum tantum laudes sive hymnos cantassent, paullatim alia quoque amplexos esse, hilariora et iocosiora. Genera autem convivalium carminum esse quatuor, ex quibus scolia maxime memorabilia. In quaerenda nominis causa Dicaearchum sequitur itemque Artemonem et Plutarchum. Rhythmum in scoliis non alium fuisse atque in aliis carminibus nec inde causam nominis repetendam. Talem autem in conviviis usum

regnasse, ut primum paean ab omnibus uno ore caneretur, deinde singuli ex ordine ad citharam recitarent, tum ad doctiores tantum et extra ordinem cithara aut myrtus traderetur. Qui primo loco accubuisset, hunc primum scolion cantasse, quo peracto alium idem argumentum paullum variatum tractasse itemque tertium et sic porro. Ultimum autem primi orbis novum carmen protulisse, quod sicut pridem convivae variarent. Ita fieri potuisse ut persaepe scoliorum orbis repeteretur. Ex tempore autem ea aliquando facta esse a poëtis simul convivantibus et inde hunc morem ad alios transiisse qui aut ipsi scolia ex tempore funderent aut aliena cito nata cantarent.

Quodsi quaerimus quibus Ilgenius argumentis illa confirmet, nonnulla non valida, sed caduca admodum videntur. Neque enim acquievit in Dicaearchi, Artemonis, Plutarchi vocis explicatione, sed nova etiam, quamvis ingeniose excogitata, addidit, velut totam convivalis certaminis formam. Concludit autem illa primum ex ipsis quae exstant scoliis, deinde ex Aristophanis locis quibusdam, parum tamen, ut opinor, intellectis. Sed de his rebus, cum ad originem scoliorum nihil attineant, melius dicemus in altera parte huius disputationis.

Koesterus aliique qui post Ilgenium de scoliis scripserunt, nihil afferunt novi ad rem expediendam, sed modo obloquendo modo assentiendo ex priorum sententiis quod cuique visum est secernunt ac seligunt.

Vides igitur nihil de scoliorum origine in tanta sententiarum discrepantia constare. Sed quomodo se habet scoliorum origo? Ex omnibus veterum quas attuli sententiis nulla tam probabilis videtur quam Dicaearchi. Quae veri ac minime quaesiti speciem prae se ferens simplicitate sua efficit cui facile assentiamur.

Scolia igitur censeo non tam esse quocunque artificiosore modo carmina cantata quam cantilenas modo ab hoc modo

ab illo recitatas nullo certo ordine. Fuisse autem suspicor initio quasi florem poësis, non unicuique nota, plena sententiarum, non sine sale.

Nam cum illorum quos supra commemoravi diversitates omiseris, in hoc omnes fere consentiunt, quod difficiliora dicunt scolia fuisse, ita ut prudentiores tantummodo iis uterentur. Quare difficiliora fuerint, in incerto relinquunt. Equidem satis habeo difficiliora fuisse scolia nec unicuique nota. Cur hoc? Vulgus nimirum populares amat cantilenas, laudatorias, cavillatorias, amatorias. Doctioribus vero graviora magis placent quae quidem quia non omnibus patent, hominibus minus eruditis videntur esse insolita ac difficilia. Athenaeus quidem ita dicit l. XV. p. 694: τὸ δὲ τοιοῦτον ᾖδετο ὁπότε τὰ κοινὰ καὶ πᾶσιν ἀναγκαῖα τέλος λάβοιεν· τηνικαῦτα γὰρ ἤδη τῶν σοφῶν ἕκαστον ᾠδήν τινα καλὴν εἰς μέσην ἠξίουν προσφέρειν. καλὴν δὲ ταύτην ἐνόμιζον τὴν παραίνεσίν τέ τινα καὶ γνώμην ἔχειν δοκοῦσαν, χρησίμην τε εἰς τὸν βίον. Sunt fortasse haec hausta ex Artemonis libris sicuti illa quae antecedunt. Satis igitur inde apparet fuisse in scoliis sapientes utilesque sententias ac praecepta. Addo etiam Hesychii verba haecce: σκόλια τὴν παροίνιον ᾠδὴν οὕτως ἔλεγον οὐ διὰ τὸν τῆς μελοποιΐας τρόπον, ὅτι σκολιὸς ἦν, ἀλλ' ὅτι οὐχ ἅπαντες ᾖδον αὐτὰ, ἀλλὰ μόνον οἱ συνετοί. Idemque statuunt Dicaearchus et Plutarchus, quorum sententias supra commemoravi.

At permulta quae nobis supersunt scolia in istam sententiam minime quadrant neque ullum praeceptum aut tale quid continent. Sane res sese ita habet: non omnia quae scoliorum nomine circumferuntur, sapiunt, ut ita dicam, sapientiam. Attamen quid impedit quominus antiquissimis temporibus eas tantum cantilenas scoliorum numero ascriptas esse arbitremur, in quibus praecepta fuerint vitae bene constituendae vel his similia, tum paullatim inscitia videlicet originis principalisque verbi significationis alia quoque parva

carmina convivalia iis esse admixta? Etenim quia inter coenam maxime recitabantur, idem fere habuere σκόλιον et παροίνιον.

Haec causa fuit, opinor, quod nunc varia scoliorum argumenta habemus, seria haec, illa levia ac lasciva. Itaque in tres classes ea digessit Eustathius (in comm. ad Odyss. H. p. 1574 lin. 14): τὰ μὲν σκωπτικά, τὰ δὲ πρὸς ἔρωτα, πολλὰ δὲ καὶ σπουδαῖα. Alii aliter distribuunt.

Quodsi quaeris quando aut a quo scolia inventa sint, eodem fere tempore quo lyricorum poësis exstiterit, exculta esse facile sibi quisque persuadeat. Exstant autem, si ἀδέσποτα omiseris, scolia Alcaei Lesbii, Pittaci Mytilenaei, Biantis Prienensis, Solonis Atheniensis, Simonidis Cei, Timocreontis Rhodii, Praxillae Sicyoniae aliorumque. Itaque non errare nobis videmur, si hanc scoliorum historiam summatim referimus: Alcaei et Anacreontis fere aetate nata esse, evanuisse Aristophanis fere aetate.

Et auctorem scoliorum haberemus, si Plutarchi locum ita ut Koesterus aliique intelligeremus. Sunt Plutarchi verba haec (in libro de musica p. 1143): εἰ δέ, καθάπερ Πίνδαρός φησι, καὶ τῶν σκολιῶν μελῶν Τέρπανδρος εὑρετὴς ἦν. Carmen, quo illa continebautur, non tulit aetatem, quare in solo Plutarcho subsistendum est. Quid igitur sunt illa σκολιὰ μέλη? Non ipsa scolia, sed modulationem eorum hic significari Ilgenius monuit. Loquitur enim Plutarchus illo loco de musicis Terpandri inventis qui et Homeri et suis carminibus certos modos musicos composuerit. Nam ante illum citharae sonos quosdam praemissos ipsa canentis vox videtur excepisse ac sola usque ad novam instrumenti accentionem declamasse. His autem musicis eius inventis addit ille σκολιὰ μέλη. Quae eodem quo cetera illius in musicam merita referenda esse ac non ad ipsam scoliorum inventionem, manifestum videtur. Quamquam et ita potest ille locus intelligi, ut σκολιὰ μέλη i. e. modulationes inflexae, scilicet modo graviter modo acute so-

nantes opponantur melodiae rectae paullatimque ascendenti. Sed hac de re non satis constat. Legitur enim apud Plutarchum (de mus. p. 1141 A.), Archilochum haberi eius modulationis auctorem.

Venio nunc ad alteram partem, ut de scoliorum usu disputem. Ac primum quoniam nonnulla ex his quae ad usum pertinent, iam supra allata sunt, hic ne quid deesse videatur rursus breviter repetam.

In conviviis ea esse cantata testantur Dicaearchus. Athenaeus aliique; post confectas deorum laudes easque quas omnes una canere sciverint cantilenas idem Athenaeus affert, denique a prudentissimo quoque et extra ordinem, fere omnibus videtur. Haec fere sunt quae ad rem melius illustrandam repetere volui. Iam copiosius de usu scoliorum disputabo. Ac primum videamus quo loco ea cantata sint quibusque occasionibus, tum de modo cantandi et qui ea recitarint.

Si plura superessent scolia aut saltem omnia quae supersunt scolia essent germana, simplicissime res sese haberet. Nunc quoniam perpauca eademque diversissimi argumenti ad nos perlata sunt, opus est coniecturis. Equidem, ut iam dixi, cum paullatim quid essent ac significarent scolia ignorari coeptum esset, alia puto iis admixta esse quae ad illum numerum minime referenda sunt. Sic se res habet de carmine in Harmodium et Aristogitonem. Alia autem alio modo illuc irrepsisse statuendum erit. Et recte quidem Lehrsius (in quaest. ep. p. 218) monuit, nonnullas quas Athenaeus protulit gnomas iuxta esse assertas non quod similes haberent sententias, sed propter solam vocabulorum quorundum similitudinem. Quid denique putemus de forma scoliorum cum quando ea conlata ac descripta sint, magna ex parte plane ignoretur? Sed haec leviora sunt, illud vero gravissimum quod eorum qui de scoliorum usu aliquid tradidere, nemo facile harum cantilenarum recitationibus ipse interfuit, quippe quae ab illis ut res non etiamtum persistens, verum iam

pridem transacta commemorentur. At, dixerit quispiam, poterant antiquiores morisque illius peritiores secuti esse auctores. Poterant illi quidem, sed num fecerint valde dubium. Neque enim quisquam eorum praeter unum Athenaeum quo auctore nitatur refert. Et ne ille quidem e satis antiquo fonte hausisse videtur.

Quae cum ita sint, cavendum est ne temerius credamus neu dubii quid pro certo habeamus.

Haec habui quae quasi praefulcirem et praemunirem. Iam locos adeamus qui sunt de usu scoliorum. Athenaeus l. XV. p. 694 sic scribit: τὸ δὲ τοιοῦτον ᾔδετο, ὁπότε τὰ κοινὰ καὶ πᾶσιν ἀναγκαῖα τέλος λάβοιεν. In conviviis cantata esse affirmant Suidas, scholiasta Aristophanis, Proclus, alii. Quorum duo illi priores genus carminum convivalium scolia vocant, Proclus vero id tantummodo dicit, ea, quod inter bibendum canerentur, a nonnullis παροίνια esse nominata. Discernuntur autem a Polluce (in Onomastico l. VI., 108) duo genera, alterum παροίνια, alterum σκόλια.

In conviviis igitur ea cani solebant. Nimirum antiquioribus temporibus convivia erant potissima amicorum consuetudo. Et quid dulcius potuit esse, quid magis delectare quam et seria et mollia et utilia aut ipsum proferre aut ex aliis audire!

Tria igitur convivalium carminum genera veteres fuisse dicunt, ut supra demonstravimus, primum paeanes quos Pollux aliique hoc in numero habuisse non videntur, alterum ea sunt carmina quae παροίνια potissimum vocantur, tertium scolia. Quorum haec post priora illa genera ad omnes pertinentia esse cantata testatur Athenaeus; cui sane credendum est. Quis enim initio ac non potius in fine coenae instituet convivarum ludos sive corporum sive mentium?

Quoniam de loco ac tempore satis dixisse mihi videor, nunc de ordine rituque in scoliis cantandis habito disseram. Quas in verbi origine quaerenda refellendas putaram sententias hanc simul ad rem pertinentes, easdem hic cum de canendi modo agitur, improbo, certe quatenus a simplicitate veroque

abhorrent. Itaque ex variis de ea re sententiis quae maxime probabilia videntur, haec seligenda sunt. Igitur haec fere canendi ratio erat. Non omnes convivae, sed prudentissimus quisque scolia canebat. Lyram autem et myrtum circumferri solitam esse cum omnes affirment, satis videtur constare. Haec igitur capiebat qui cantaturus erat. Quae scholiasta ad Aristoph. Vesp v. 1231 notat: οἱ δέ φασιν ὡς ἔθος ἦν τὸν δυνάμενον ἐν τοῖς συμποσίοις ᾆσαι, δάφνης κλῶνα ἢ μυρρίνης λαβόντα πρὸς τοῦτον ᾄδειν, siquidem vera sunt, huc non videntur referenda, quoniam ille universe de conviviis loquitur, non de ea parte eorum, in qua scolia instituebantur. Simul cum his rebus poculum circumlatum esse Athenaeus Polluxque narrant, quod quidem credere non ita multum refert.

Sed quo ordine convivae cantarint quoque modo, magna adhuc dissensio est. Injuria, ut mihi videtur. Simplicissima enim res est, dummodo ne difficultatis speciem quaeras, ubi nulla re vera obiicitur. Cur certam regulam veteres in hac re sibi statuisse putandi sint equidem non video causam. Imo dissolutum ac plane liberum fuisse ordinem cum per se sit simplicissimum maximeque scoliorum naturae consentaneum, tum ipsis veterum testimoniis probatur et confirmatur. Quodsi illi inflexum et tortuosum esse ordinem dicunt, in duas partes secernendam puto illam sententiam, quarum altera probanda, altera respuenda est. Verum enim habeo ordinem non fuisse certum, falsa quae de lectulorum ordine aut similia narrantur nec non natum inde cantilenarum nomen. Illud vero facile concedo, posterioribus temporibus cum de prisco illo more homines cogitarint, aut restituere eum voluerint, perversae opinionis suae gratia tales fortasse in canendo lusus finxisse novique quid pro vetusto habuisse. Quamquam hoc potius statuere malim, ipsos qui de scoliis prodidere, rem etiamtum ignotam sua quemque cogitatione explicandam suscepisse. Utut hoc est, illud nemo negabit, opinor, veterum de ista re sententias non ita probandas esse quibus statim assentiamur; verum

enimvero quo simpliciores eae sint aut fieri interpretando possint, eo propiores fere esse vero. Sic igitur ipsam scoliorum recitationem describemus. Prudentiorum quisquis sive a ceteris rogatus sive suo ipse ingenio incitatus cantare volebat, is cantabat, ceteris scilicet tacite audientibus. Hunc, si animus ferebat, hic aut ille, quocunque loco sedebat, nullis ordinis certi vinculis coërcitus excipiebat et sic porro, donec et audire et cantare convivis placebat. Poterat fortasse alius alius carmen aut alia modulatione canere aut sententia paullulum mutata quasi novum in medium ferre aut ipse, si ingenio plus valebat, aliquid invenire aut poëtarum carmina sententiosa recitare. Denique nihil praeceptum sancitumque erat.

Qua de re cum ex scriptorum locis nihil amplius possit statui, non ausim Ilgenium sequi nimis audacter, ut mihi videtur, conjicientem fuisse scoliis formam certaminis. Quam putat et initio fuisse eamque apud poëtas una convivantes et postea mansisse, ita ut primus argumentum quoddam inceperit, ceteri extra ordinem idem variatis numeris et sententiis tractarint, ultimus novum protulerit argumentum quod item continuaretur. Atque addit etiam dextram versus id factum esse.

Concludit autem illa et ex ipsis scoliis et ex loco quodam Aristophanis. Sed qui ex ipsa scoliorum forma potest illud concludi? Neque id carmen quod Ilgenio maximo hujus opinionis documento est, carmen dico in Harmodium et Aristogitonem, in quatuor cantiunculas divellendum videtur. Quis autem ipsas carminum quorundam imitationes pro veris scoliis aut scoliorum responsionibus habeat?

Aristophanis locus est Vesp. v. 1220 sq. Facit hic poëta Bdelycleonem filium quaerentem ex patre Philocleone, sitne in convivio statim habendo scolia bene excepturus. Ait ille. Tum filius incipit carmen patremque iubet continuare. Hanc Ilgenius putavit esse continuationem eiusmodi ut idem carmen repeteretur variata sententia. Sed primum id tenendum est, comici haec verba esse omnia cavillantis. Deinde

nihil in iis est quod ad certamen pertineat. Est enim δέχεσθαι, quo poëta utitur, hoc loco nihil aliud quam continuare, pergere ubi quispiam desiit. Risum autem vult poëta movere quippe qui patrem aliter idque lepidissume continuantem faciat ac filius orsus erat. Adde quod duo illi Aristophanei scolia cantanda nihil nisi praeparant filio quasi patrem fabulam docente. Unde efficitur ut poëta ipsum scolia canendi modum descripsisse nequaquam putandus sit.

Neque hoc praetermittam quod Ilgenius in hymno in Mercurium scoliorum poësin commemorari suspicatus est. Alter huius carminis locus legitur inde a versu 55.:

— — ἠΰτε κοῦροι
ἡβηταὶ θαλίῃσι παραίβολα κερτομέουσι —

alter inde a versu 480:

εὔκηλός μιν ἔπειτα θέρειν εἰς δαῖτα θάλειαν
καὶ χορὸν ἱμερόεντα καὶ ἐς φιλοκυδέα κῶμον.

Quae nihil ad scolia, verum ad cavillandi inter se juvenum pertinent studium, quod quidem non inter bibendum modo sed etiam alibi potest fieri.

Quodsi errasse illum puto quod certaminis formam scoliis tribuit, hanc, ut omnino liberam nullisque certae regulae legibus adstrictam recitationem fuisse statui, nunquam adhibitam esse equidem non dixerim. Illud nego de ea re ex tam infirmis argumentis certi aliquid posse condudi.

Quoniam de scoliorum origine usuque satis copiose dixisse mihi videor, restat ut in pauca conferam quae sentiam de ea re. Originem scoliorum non satis apertam esse nec constare de inventore, exculta autem esse ea jam a priscis lyricis nomenque accepisse ab ordine canentium quasi inflexo. Continuisse permulta scolia brevia praecepta gnomasque, recitata autem esse in conviviis eaque a prudentioribus, ita tamen ut nulla esset certa ac definita canendi regula.